





*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11

1655

1. Ammorsbachius, Severus: De jure naturali . . .
2. Beckmann, Johann Volk: De evictionibus .
3. Gerhardtus, Joh. Fridericus: De academia .
4. Posnerus, Casparus: C. Julii Caesaris politica .
5. Posnerus, Casparus: C. Julii Caesaris interitus . .
6. Richterius, Christophorus Philippus: De novi operis  
mutatione
7. Richterius, Christophorus Philippus: De conditionibus .
8. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De collegiis epi-  
scopi .
- 9<sup>a. et</sup> Schroeterus, Ernestus Fridericus: De competentia  
= fori communis et privilegiati . 2 Sumpt. 1655: 1716.
10. Schubarthus, Aureus Christophorus: De constitutione et  
natura politica .
11. Strauchius, Johannes: De recusatione Curiae Imperia-  
lis .

16557

12. Stranchius, Johannes: De juramento suppletorio.

13. Struve, Georg Adamus: De jure luminum.

14<sup>a. b.</sup> Struve, Georg Adamus: De jure representationis.

2 Saampf. 1655 & 1757.

15. Struve, Georg Adamus: Probatio illustrium et diffini-  
tionum quarundem controversiarum ex instit. legis. praec-  
cipuis desumptarum.

16. Struve, Georg Adamus: De anatocismo.

17. Struve, Georg Adamus: De executione

18. Ungepaue, Franciscus: De feriis, earumque excep-

tione.

→  
.  
er.  
ral.  
ep.



1023

J

I

C





10236  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De  
**JURE NATU-  
RALI,**

In Illustri propter Salam Academiâ,

PRÆSTITE  
JUSTISSIMO JURIS NATURALIS  
AUTORE,

CONSENTIENTE  
AMPLISSIMA FACULTATE  
PHILOSOPHICA,

à

PRÆSIDE

M. HENRICO AMMERS-  
BACHIO, HALBERSTA-  
DIO-SAXONE,

&

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO LUDOVICO FISCHER,  
HALBERSTADIO-SAXONE

Placidæ ventilationi

*In Orchestrà Philosophantium*

ANNO clō lo c LV. Prid. Id. Sept.

*Horis Antemeridianis*

EXPOSITA.

Typis JOHANNIS NISII.



*Illustri ac Pergeneroso*

DOMINO

DN. CAROLO A FRIESEN,

in Rötha, Propncipi, Consiliario & Curatori Su-  
premo Saxô-Hennebergico Eminentissimo, Splen-  
didissimo,.

Omnis præclarioris Literaturæ receptaculo,  
Nobiliorisque virtutis Oraculo,

*Domino Meccenati atque Patrono suo nullo non servi-  
tiorum genere suspicendo,*

præsentem Disputationem,

mancupatissimæ mentis syngraphum,

caq; Proxenetriâ

se, studia & officia sua

devotè, humillimè,

consecrat, offert,

Christoph. Ludov. Fischer.



## ANTEPAGMENTUM.



Alexander Severus, teste Lamprid. in ejus vitâ, jus naturæ, tempore & dignitate primatum inter omnia jura obtinens, palatio suo aliisque ædificiis publicis non quidem ad ambitiosam ostentationem sed ad seriam dilectionis erga proximum exercendæ commonefactionem inscribi & insculpi fecit. Nos in præsentia non nisi exercitii gratia idem hoc naturæ jus, utpote quod ipse Deus vivis indelebilibus cordi nostro inculpsit, chartaceis cippis inscribemus. Sit itaque B. C. D. ut verborum ambages exorsaq; longa faceffant,

§. I.

Vocabulum juris valdè est ambiguum. I. Juris nomine venit omne id, quod justum & æquum imò quod bonum ac honestum est; & modò fas, modò æquitas, modò justum, modò justitia ipsa apud Autores cluit. Singula autem à jure differre, quivis etiam Tyresia cœcior cernit. 1. diff. fas à jure, fas enim, ut inquit *Episc. Hispal. Isid. lib. 5. Etym. c. 2. est lex divina, jus verò humana.* Hoc sensu ait Latialis Homerus, *Virgil. lib. 1. Georg. fas & jura sinunt*; id quod à Linguarum censoribus explicatur; divina & humana jura permittūt. 2. diff. æquitas à jure, æquitas enim non constat certis quibusdam præceptis sed singularium casuum & circumstantiarum varietatem boni judicis arbitrio relinquit: quorum neutrum de jure dicitur. 3. diff. justum à jure, quocunque etiam modo justum accipias sive formaliter sive materialiter, priori modo justum in criterium vocatum dicitur id quod justè factum: posteriori verò dicitur de homine justam actionem suscipiente, de re jusa & quovis justo facto; jus verò est quod justè facere

A 2

juber.

jubet. 4. diff. justitia à jure, jus enim est objectum, effectus & soboles justitiæ. II. Sumitur jus pro juris studio & facultate quæ dicitur jurisprudentia, à quâ tamen differt ut objectum à suâ, in quâ tractatur, disciplinâ. III. Sumitur jus pro tribunali, judicio, foro, in quo justitia administratur & jus suum unicuique redditur, in hâc significatione dicit senex *Demipho* ad parasitum apud *Terent. Phorm. Act. 5. Sc. 8. in jus ambula*. Differt autem jus à judicio vel foro ut norma, canon vel regula ab ipso opere, quod sec. canonem instituitur: sicut enim canon, sive ἀρχιπρωτονοῦς sive ἐμπροσθεμαχῶς accipias, medium, excessum & defectum rei ostendit; ita etiam sec. juris canonem *omnia fieri prestat quàm pro hominum voluntate, non enim securâ est regula decidente Philos. 2. Polit. 10*. IV. Sumitur à quibusdam jus pro lege, alii verò distinguunt inter jus & legem, quia *Jus est materia legis* ut dicit *Greg. de Val. & jura sive justa sunt, quæ lex jubet facere 1. M. M. 34*. ex quibus sequitur legem indicare potestatem quandam civilem & constitutionem scriptâ. Hoc innuere etiam videtur *Thom. 2. 2. q. 57. a. 1. ad 3. rationem æqui & justî si in scriptum redigatur legem esse* dicens. Hinc jam fit differentia inter jus & legem ut *inter genus & speciem*, ut inquit *Gratian. ex Isid. dist. 1. c. 2*. ita ut jus competat legibus scriptis & non scriptis, lex verò tantùm jus scriptum dicatur & juri non scripto opponatur. V. Significat jus privilegium, facultatem vel potestatem moralem, quam quis in re vel ad rem habet. Hoc modo est proprium objectum justitiæ uti constat ex *Thom. l. c.* diciturque *jus utile & reale* ad distinctionem *juris honesti & legalis*. Sic Abraham *Gen. 23. 4.* petiit sibi dari jus sepulchri in terrâ Canaan i. e. facultatem sepeliendi. Differt autem talis facultas vel libertas ab ipso jure ut fructus s. effectus à suâ causâ. VI. Vocab. juris denotatur *prescriptum legis vel recta quædam ratio, quæ injubendo & vetando quid sit licitum vel illicitum prescribit*, juxta effatum *Cic. l. 1. de leg.* Et hoc modo hîc loci nobis sumitur.

§. 2.

§. 2.

Parili modo magna ambiguitas latet in voc. naturalis. Nos omnes ambiguitates nulli descriptum inus, sed eas tantum, quæ nostro instituto deserviunt, vestigamus. In hac indagine offerunt se nobis vestigia *B. D. Horn. Instit. Log. l. 5. q. 9. p. 539.* dicentis: *Observand. hic ex P. Sorcinate 4. Met. q. 33. & Javello 2. Met. q. 1. dupliciter aliquid naturale dici; uno quidem modo, quod natura ab initio actu inest, sicut naturale homini est videre, intellectum & voluntatem habere; altero vero, quod, quamvis actu ab initio rei non insit, secundum proximam tamen potentiam inest, & tale est, ut natura absque externâ ope id producere possit, sicut naturale lapidi est, ut descendat: etsi enim motus ille non statim ei inest cum producitur, sicut gravitas causa illius motus, potentiam tamen lapis habet, ut citra ullum aliud adminiculum ita moveatur. Cum ergo propositiones per se notæ dicantur naturaliter notæ esse, non priori sed posteriori sensu voc. naturale usurpatur. Nec aliter Theologi aut Paulus legem naturæ innatam & cordibus inscriptam vocant, nec Paulus Aristot. (3. de an. c. 5. t. 15. dicenti: hominis animum tabulæ instar esse, cui nihil à principio inscriptum sit) repugnat, quia hic de eo, quod naturale priori sensu est, loquitur, ille de eo, quod posteriori: etsi enim lex naturalis non est nota cum primùm nascimur, ita tamen evidens est, ut sola natura sine institutione aut ullo externo adminiculo ad ejus cognitionem acquirendam sufficiat.*

§. 3.

*Archelaus & Carneades, Anaxagoræ discipuli, item Pyrrho* *δοκίμητων* *Coryphæus & alii jus naturæ apinas affanias putarunt humanaque omnia constitutione finiri contenderunt. Horum sententia à variis variè refutatur. Nos jus nat. reverâ dari, unico CONSCIENTIÆ vocabulo statuminamus. Huic argumento quivis mortalium subscribere tenetur. Neque enim ipse Gentium Doctor aliud urget in suâ ad Rom. Epist. c. 2. v. 15. Testis itaque omni exceptione major est conscientia: imò*

A 3

non

non solum testis est sed etiam ipse *tortor, iudex, actor, reus, carcer, flagellum, executor & carnifex* teste Cyprian. *serm. de Caen. Dom.* Hinc Chrysostr. *in expl. Ps. 7.* inquit: *et si millies quis improbus fuerit, non interit iudicium conscientiae. Est enim naturale & à DEO ab initio insitum, etiamsi quis ambitiosè se millies jactet & gloriatur, instat illud vociferans, castigans, condemnans, & nemo est eorum qui vixit in scelere qui non innumerabiles dolores sustineat & de malis consultans & consilium exequens.* Nihil horum latuit Gentiles. Egregiè Sulmon. *Vates lib. 1. Fast.* inquit:

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra  
Pectora pro facto spemque metumque suo.

Non minùs egregiè ait *Satyr. ille, Juvenal. Sat. 13.*

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi  
Displicet auctori, & prima est hæc ultio, quod se  
Iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis  
gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Hicce gemella apud alios complures legere datur. Et huc refer. *Furia & Diræ illæ*, quibus tanquam ahenis tormentis Ethnicos v. g. *Oresten, Neronem, Caligulam &c.* lancinatos legimus. *Vid. Natal. Comit. tot. l. 3. Myth.*

§. 4.

Bifidum hîc dubium discutiendum. Primum oritur ex peccato Adamitico, per quod jus Nat. planè amissum videtur, quia post lapsum non solum voluntatem bonum faciendi nobis ademptam verum etiam intellectum ad bonas cogitationes ineptum scimus. Resp. Per lapsum jus nat. non sublatum. Omnino quidem contra Cacolycam Apostaticam Papæ cathedram nobis asserendum, quoad spiritualia liberum arbitrium planè esse amissum. Illud autem non extendendum ad civilia; quoad civilem enim justitiam efficiendam & deligendas res rationi subiectas humanam voluntatem habere aliquam libertatem docet *A. C. a 18.* Si igitur naturâ homo facere potest quod civiliter justum, multo magis etiam intelligit quæ ad civilem

vilem justitiam requiruntur: plus enim est facere quam icire. Et unde, quæso, tanta Alexandri M. Themistoclis fortitudo? Unde tanta Socratis, Pythagoræ temperantia? Unde tanta Aristidis, Catonis justitia? Non certè ex libro scripturæ, sed libro naturæ: tertium enim non datur. Naturæ lumen & rectæ rationis dictamen unicum illud dicitur principium, cuius beneficio gentes honesta à turpibus discriminârunt, ut adeò non opus sit, dicere: jus nat. lumine nat. cognosci non posse, sed ad revelationem recurrendum indeque principia de discrimine honestorum & turpium petenda. Uti enim post lapsum adhuc non quidem mirabilia sed potius miserabilia quædam ruderâ & reliquiæ imaginis divinæ *δὲ τῆς* sc. spectatæ in nobis supersunt: ita etiam certum, scintillulas quasdam & favillas in intellectu nostro esse, ex quibus honestorum & turpium discrimen tanquam ex lydio lapide elicere possumus.

§. 5.

Secundum dubium in eo positum: quod sc. non apud omnes sed quosdam tantum homines jus nat. videtur obtinere, totas enim nationes cyclopicam tantum non vitam agere & tali jure, quod nihil minus quam jus est, uti, ex quam plurimis Histor. & Geograph. constat. Vulgò ad hoc dubium Moraliū Doctores Resp. jus nat. propter malam educationem, propriâ culpâ obliterari & extingvi posse Responsio illa cum grano salis accipienda, quamvis enim quoad actum secundū jus nat. non rarenter per malam educationem & consuetudinem præpediatur & ejus loco aliud perversum jus adhibeatur, quoad actum primum tamen semper salvum manet & integrum, adeoque à pravo affectu non licet concludere ad naturalem defectum. *Quemadmodum Sol non perit, licet nec luceat nec videatur à nobis ob interpositas nubes: ita lux animis indita semper, quamvis non luceat cum tenebris malitiæ & affectatæ ignorantie involvitur, ut inquit, Meissn. Lib. 3. de Leg. q. 1. p. 153.* Nihil verò quoad hæc nobis est dubium, quin multi inter curi  
ba

batizantes illas nationes diversum à consuetudine populi senti-  
ant, dicentes: *Video meliora proboq̄, deteriora sequor.* Si qui au-  
tem ignorant, ignorantia illa non est invincibilis & volunta-  
tem antecedens, sed vincibilis & voluntatem consequens Nec  
aliud svadent perversi & contrarii eorum mores, non tollunt  
sc. illi ipsum jus nat. quemadmodum enim cibo dulcis, etiamsi  
ægotanti amarus videatur, propterea tamē dulcedinem non  
amittit aut amarus efficitur; ita jus nat. etiamsi pravæ malè  
moratorum consuetudini injustum videatur, propterea boni-  
tatem suam non amittit

§. 6.

De definitione juris nat. magna est Autorum dividia. *A-*  
*ristot.* 5. *Eth.* 7. ita definit: *quod ubiq̄ eandem vim habet, & non*  
*quia ita videtur vel non videtur.* *Burlaus* haut proletariæ alias e-  
ruditionis vir ad h. l. putat, jus nat. esse ipsam æquitatem, dum  
dicit: *justum legale indiget directione qua fit per Divines sive ju-*  
*stum naturale.* Sed fallitur *Burl.* Sæpe quidem legum defectus  
suppletur per (per dic. non secundum) justum naturale, non  
tamen hinc illa emendatio est ipsum jus nat. nam in legibus  
positivis humanis potest etiam id, quod de est suppleri per alias  
leges positivas humanas. *Gratian.* d. 1. pr. dicit: *jus nat. est, quod*  
*in lege & Evangelio continetur, quo quisq̄ jubetur alii facere quod*  
*sibi vult fieri & prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri & c.* Ad  
hæc verba commentatur *Suarez* l. 2. de leg. c. 7. n. 9. hoc modo:  
*dico ergò, Gratianum non dicere jus nat. complecti omnia qua in*  
*lege & Evang. continentur, neq̄ illo modo describere seu definire*  
*jus nat. Sed affirmare solùm hoc jus nat. contineri in lege utique*  
*quoad præcepta moralia ejus & præcepta duarum tabularum & il-*  
*lud etiam contineri in Evangelio, vel qt. expressè in eo confirman-*  
*tur & explicantur præcepta decalogi Matth. 5. vel qt. virtute to-*  
*tum jus nat. continetur in illo principio quod habetur Matth. 7.*  
*quodcunque vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis,*  
*& hoc ultimum fuisse videtur à Gratiano maximè intentum. Un-*  
*de sic*



de sic ejus litera conjungenda: jus nat. est, quo quisq; jubetur alii  
facere, quod sibi vult fieri quod in lege & Evangelio continetur.  
Rectissimè dicit Suar. Gratianum non velle, jus nat. omnia cō-  
plecti quæ in lege & Evangelio continentur. De lege certissi-  
mum est. De Evangelio Dic. sola excipi præcepta credendi &  
sacramentorum, hæc enim homo sibi relictus non intelligit;  
reliqua præcepta ad unum omnia juris nat. esse asserimus. Hu-  
go Grotius Vir aliàs non incelebris memoriæ, l. 2. de J. B. & P. c.  
2. n. 6. diversum in hoc sentit, dum dicit: 1. extra præcepta  
credendi & Sacramentorum esse quædam in Evangelio quæ  
non sint juris nat. v. g. præceptum de concubinato, divortio,  
matrimon. cum pluribus fœminis, item præceptum quo alii  
pro aliis mortis periculo nos objicere jubemur 1. Joh. 3. 16. 2.  
Christum in tradendis præceptis Matt. 5. non tantum interpre-  
tem agere legis Mosaicæ, quia ipse ibidem sua præcepta oppo-  
nat veterum præceptis. Sed ut nihil dissimulemus, Helena  
non placet, ut ut purpurisso illita, Grotius quantus quantus sit,  
errat ut à ventis discordibus acta Phaselus. De illis prioribus:  
concubinato & c. hîc nihil dicemus. De præcepto illo 1. Joh.  
3. quod Grot. quærit. quis dicat (ad illud) jure nat. nos obligari?  
per delirum esse videtur. Ecquid enim volunt sibi illa Gentili-  
um? v. g. illud: dulce & decorum est pro patriâ mori, quod est  
Horatii, it. illa: Nullus est casus pro dignitate & libertate patriæ  
non ferendus quoniam omnia commoda à patriâ accepta, nullum  
in commodum pro patriâ grave putandum. Vehementer est ini-  
quum, vitam quam à naturâ acceptam propter patriam conserva-  
veris natura cogat reddere, patriæ cum roget non dare: & cum  
possis cum summâ virtute & honore pro patriâ interire, malle per  
dedecus & ignaviam vivere: & cum pro amicis & parentibus &  
cæteris necessariis adire periculum velis, pro Rep. in quâ & hoc &  
illud sanctissimum nomen patriæ continetur, nolle in discrimen  
venire. quæ omnia sunt Ciceron. Hæc ad 1. Grotii dubium. De  
2. ut simus solliciti, non est opus. Plenissimè dudum ad illud

B

respon-



resp. Exc. Dn. Conring. in suis ad ejusd. Grot. lib. de Ver. Rel. Christ.  
Annot. M. S. Nervus resp. hic est: Christus nihil præter id, quod  
jã ante juris nat. hãc in parte demandavit. Nec opponit se legi  
nat. vel Mosaicæ, sed Pharisaicæ legis explicationi v. g. Phari-  
saica explicatio vers. 41. erat: duo lege isthãc Mosaicã injungi:  
1. neminẽ diligendum præter proximum hoc est popularẽ, un-  
de oriebatur Judæorũ illa infociabilis vivendi ratio. 2. odio ha-  
bendũ omnẽ inimicũ, quod meritò Christus improbat, utpo-  
te quod etiam nat. legi adversetur. Per veteres hãc intellig. sunt  
Pharisæi & scribæ, qui etiam seniores dicebantur; non illi qui  
tempore Mosis vixerant, nam Christus inquit, odio habebis  
inimicos tuos, quod tamen in lege Mosaicã non reperitur.  
Sed hæc obiter, *Martin. Bonacina, Theol. & Jurium Doctor*  
*Tom. 2. Theol. moral. Disp. 1. de leg. q. 1. p. 2. n. 7* de definit. ju-  
ris nat. ita scribit: *lex nat. est ipsamet convenientia sive discon-*  
*venientia rei cum rectã ratione. Unde disconvenientia quam ha-*  
*bet mendacium vel adulterium cum rectã ratione, est ipsa lex na-*  
*turalis quã prohibetur mendacium vel adulterium. Item conve-*  
*venientia, quam habet observatio famæ proximi cum rectã ratio-*  
*ne est lex nat. dictans, servandam esse famam. Alii DD. L. natu-*  
*ralem h. m. definiunt: lex nat. est dictamen sive lumen naturale*  
*nostræ rationis, quo cognoscimus quæ faciendæ & quæ vitandæ sunt,*  
*ita sentire videtur Vazquez 1. 2. Disp. 150. c. 3. (Filliuc. tr. 21. c. 11.*  
*n. 401.) Verùm hæc definitio non videtur à priori sed à posteriori ut*  
*loquuntur Philosophi. nam lex nat. à priori videtur ipsamet rei*  
*convenientia vel disconvenientia, quam lumine naturæ cognosci-*  
*mus. Dicimus nos paucis ad hæc: malè Bonacin. jus nat. de-*  
*finire per ipsam convenientiam vel disconvenientiam rei cum*  
*rectã ratione: Sicut enim norma vel mensura differt ab ipsã*  
*conditione mensurati vel habitudine, quæ per normam noti-*  
*ficatur: ita etiam lex nat. differt ab ipsã, quam indicat, conve-*  
*nientiã vel disconvenientiã rei cum rectã ratione. Rectius ita-*  
*que H. Grot. l. c. 1. n. 10. jus nat. definit per dictatum rectæ ratio-*  
*nis,*

nis, indicans aetui alicui ex ejus convenientiâ vel disconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem ac consequenter ab autore naturæ DEO talem aetum aut vetari aut præcipi.

§. 7.

Causa juris nat. efficiens & quidem principalis est DEUS. Hinc salutatur etiam lex divina; ipse enim est Autor, qui in creatione primi hominis eidem jus nat. inscripsit, quam Auctoritatem ipsi quoque Gentiles agnoverunt, uti pluribus si opus esset, posset nullo labore ostendi. Dubium hîc est; utrum jus nat. à DEO sit ut Legislatore, an verò ab eodem tantùm, ut primâ causâ omnium bonorum? quidam prius, quidam posterius arripiunt. Pars invenit utraque causas. Nos memores illius: *πρότερον ἢ πᾶσιν ἀείρον*, dicimus: jus nat. non solùm indicare bonum vel malum sed etiam ad illud faciendum vel omittendum obligare tanquam signum divinæ voluntatis bonū præcipientis malumque prohibentis, ideoque à DEO esse non tantùm ut causâ primâ sed etiam ut Legislatore præcipiente & obligante. Et hanc sent. probat *Suarez. l. 2. de L. c. 6.*

§. 8.

Causa effic. proxima est natura. Protoplastorum quidem cordibus DEUM jus nat. immediatè inscripsisse indubium est: Post lapsum verò nō nisi mediante naturâ id fieri asserendum, quia aliàs (censente *Meisner. l. 3. de L. q. 2. p. 160.*) rudera illa reliquia imaginis divinæ appellari non possent. Quod enim de novo planè & ἀπὸ κενῆς inscribitur, illud ipsum etiam nova notitia non veteris alicujus pars reliqua est; non secus ac novum dicitur adificium, si penitus destructo veteri recenter adificetur, licet veteri quodammodo correspondeat & ad formam illius exstructum sit. *Joann. Selden. l. 1. de J. N. & G. J. D. E. c. 8.* veretur naturam agnoscere pro causâ, hinc in illo *Ulpiani: jus nat. est quod natura omnia animalia docuit, per naturam* intell. putat DEUM reprehenditque q. *Bartolum*, qui eo nomine Glossam reprehendat

& naturam naturatam, non naturantem sive DEUM in verbis  
all. denotari velit. Dubietas hæc viro huic absque dubio orta  
ex hæreticâ Judæorum opinione, quâ statuerunt, animam non  
esse essentialem hominis perfectionem nec posse dici formam  
corporis nisi sicut nauta dicitur forma navis &c. Unde puta-  
runt, naturam in negotio juris nat. nihil præstare sed homines  
non depravatæ mentis præcepta juris nat. ex perpetuâ indica-  
tione simul atque imperio ipsius Numinis vel intelligentiæ,  
quam vocant, postremæ i.e. angeli habere non aliter atque ob-  
jecta visus à luce indicari, quæ tamen cæcutientibus aut neutri-  
quam omninò aut malè nimis cernantur. Quam opinionem  
quamvis ipse *Selden.* damnet, videtur tamen ad alios fermè  
confinilis opinionis circumcelliones transire, qui sc. intelle-  
ctum quidem animæ humanæ partem faciunt, nihilominus  
tamen assistentem & perpetuò indicantem intellectum DEUM  
esse volunt, à quo intellectuale lumen participet. Pro hæc sen-  
tentiâ citat *Thom. 1. 2. q. 91. a. 2. legem nat. participationem legis  
æternæ* definientem. Quicquid jam sit de hoc: nos contrarium  
defendimus. Concedimus quidem, legem nat. esse participa-  
tionem legis æternæ, illa autem participatio non est physica  
vel totius essentialis, vel totius integralis, vel accidentium: pri-  
mum & ultimum facile patent; illud, quia aliàs Dii essemus;  
hoc, quia in Deum non cadit accidens; secundum quod atti-  
net, dictum jam supra: jus nat. referri ad reliquias imaginis di-  
vinæ, hæc autem imago non est quædam essentiæ divinæ parti-  
cula, aliàs non esset imago, sic brachium non potest dici ima-  
go hominis, imago enim est similitudo quædam, vel secun-  
dum omnimodam naturæ convenientiam & æqualitatem, &  
talis imaginis vocamine indigitatur Christus respectu Patris  
cœlestis, vel secundum imitationem sicut exemplatum assimi-  
latur exemplaritati, & h. m. homo ad imaginem DEI dicitur  
conditus, adeoque jus nat. non magis participat legem æter-  
nam quàm exemplatum exemplaritatem, sicut ipsa anima, in  
quâ

quâ potissimum imago divina consistit, non magis participat divina attributa quam *exemplatum exemplaritatem*, sunt vocabula *Bonavent. l. 2. D. 16. a. 1. q. 1.* Nec obstat nobis: DEUM immediatè ad omnes actiones immediatione virtutis & suppositi concurrere: Concurfus enim ille non excludit causas secundas, hinc dicit ille *Sex Pontificum concionator & postea Cardinalis Toletus l. 1. phys. c. 3. q. 8. Concurrit DEUS cum causis secundis juxta earum naturam cum liberis liberè, cum necessariis necessariò, cum debilibus debiliter, cum fortibus fortiter, pro sua suavissimâ dispositione universali operando.* Similia à *Morneo l. de verit. rel. Christ. c. 13.* dicta leguntur: *Movet motor primus inferiora secundum naturam cujusque indolem, mobiles secundum motum, immobiles secundum stabilitatem, naturales secundum servitutem, sensibiles secundum appetitum, rationales secundum voluntatem & libertatem.* §. 9.

Materia juris nat. est vel circa quam, & dicitur objectum; vel in quâ, & dicitur subjectum. Objecti nomine veniunt actus omnium virtutum moralium. 1. intell. hoc quoad præcepta affirmativa (de negativis alia est ratio) de generibus singulorum, non singulis generum, nam non dicitur: omnes actus virtutû, neq; enim omnes istos lex nat. præcipit, cû multi liberè sine obligatione v.g. qui sec. virtutè heroicâ fiunt, multi etiâ ex solo præcepto humano v.g. certo tempore ex mandato Magistratus à cibo abstinere, suscipiantur. Vid. *Horn. l. 4. Phil. mor. c. 3. n. 28.* 2. intell. hoc tantum de actionibus civilibus, id quod innuit. voc. moralium. *Occupatur enim jus nat. inquit Meisner. l. 1. de L. q. 3. pag. 38. circa hemispherium tantum inferius, quod continet actiones externas ex discretione honestorum & turpium deductas; non autem circa hemispherium superius, quod concernit actiones sacras, illuminationem mentis, conversionem voluntatis aliasq; similes ad quas Phœci penitus inepti sumus.* Q. hâc occasione: *An præcepta Decalogi sint juris nat.?* Resp. Aff. *Data est (in monte Sinai) lex, non quia cordibus scri-*

*pta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, per legem ad te ipsum intrò revocareris, ait August. in Ps. 57. Huic consonat illud Luth. Tom. 4. J. G. p. 527. & 533. Gott hat die 10. Gebot/ welche nichts anders sind denn das Gesetz der Natur / den Jüden gegeben zum Ueberfluß / auff daß das natürliche Gesetz / das zuvor im Herzen ist / hiedurch erwecket würde. Dicit ita B. Vir decalogum nil aliud esse quàm repetitam juris nat. summam, glossam, commentarium & signaculum, nam hinc Decalogus vocitatur lex moralis, quia sc. circa hominum mores informandos versatur, quod etiam competit juri nat. conf. Buxtorf. dissert. de Decal. §. 89. quest. an decalogus ad nos Christianos pertineat? Cautè tamen hîc disting. inter decalogi moralia, quæ omnibus hominibus sunt communia, & inter ejus ceremonias, quæ Judæis tantùm conveniunt, id quod diligenter inculcat B. Chemnitius, illustre ævi sui lumen, LL. CC. de Lege DEI par. 2. p. 27. dicens: placuit DEO, qui in monte Sina decalogum promulgavit, eundem involucris quibusdam tantùm ad populum Isræliticum spectantibus vestire: quæ diligenter distinguend. ab iis, quæ omnibus hominibus sunt præscripta: qualia sunt quæcum notitiis naturalibus naturâ insitis conveniunt: quæ in N. T. ita repetita ut etiam gentibus observanda sint: quæ ab ipso Mose & Prophetis non tantùm ad Isrælitas sed ad omnes homines pertinere ostenduntur. Ex his datur colligere nihil ferè discerniculi inter jus nat. & Decalogum deprehendi; sed si quid est, respectu patefactionis & aliarum circumstantiarum esse censetur. vid. Meisner. tr. de S. B. c. 4. q. 4. n. 3. p. 373.*

§. 10.

Subiectum juris nat. est omnis & sola creatura rationalis, in quocunque etiam sit statu. Diversimodè potest homo considerari. 1. in statu innocentix ante lapsum. De hoc nullum dubium, quin homo in eo constitutus non solùm perfectissimam juris nat. cognitionem verùm etiam debitam illius implendi possibilitatem habuerit. Et sanè, si adhuc essemus in illo

illo statu, mirum si aliis legibus quàm naturali obligaremur, neque enim esset politia sicut hodiè. 2. in statu peccati, post lapsum. in naturâ enim corruptâ non verò ut corruptâ sed ut ruderâ quâdam imaginis divinæ habente jus nat. adhuc vigere supra ostensum. 3. in statu gloriæ post hanc vitam. neque enim ille status nos eximet ab obligatione juris nat. sed potius ad summum nostræ cum divinâ voluntate conformitatis fastigium perducet, erimus enim ἰσὶ ἄγγελοι, angelos autem non esse ex leges conditos satis constat; ut adeò non repugnemus, si quis has, quæ dicuntur intellectuales, creaturas ad subiectum juris nat. quodam modò referat, hujus enim intuitu quotidie oramus: *fiat voluntas tua (Domine) sicut in cælo (ab angelis) ita & in terrâ.* Fluit ex hisce, Principes non esse solutos lege nat. Per Populum Romanum olim quidem Augustus & alii legibus civilibus soluti vixerunt, quo jure omnes etiam hõc temporis meritò utuntur Reges & principes. Lege autem naturali neque Augustum neque ullum unquam Imperatorem solutum esse, solvi aut solutum iri recta dictat ratio; hæc enim lex est universalissima & ab eo imperata qui omnibus imperat. Valeant igitur iudices illi cercopissantes qui *Cambysi* sororis conjugium appetenti, ultra citravè justum responderunt: *nul- lam quidem legem de conjugio cum sorore apud Persas inveniri, a- liam tamen esse: quâ Regi Persarum liceat quicquid libeat.* Recti- us *Antigonus* Macedonum Rex dicenti: *omnia regibus justa & honesta esse, sunt per Jovem,* respondit, *Barbarorum duntaxat Regibus. At nobis ea tantùm honesta sunt, quæ honesta sunt & ea tantùm justa, quæ justa sunt.*

§. II.

Diçum th. præc. *solam creaturam rationalem esse subje- ctum juris nat.* Excludimus igitur 1. herbas & plantas, quæ quamvis vitâ præditæ immutabilem à naturâ præscriptum or- dinem & necessitatem observent, hominis usui inserviant & hâc ratione divinam gloriam muto quasi ore sicut opus dici- tur

tur laudare artificem materiam scil. laudis præbendo personent, non tamen propterea jure naturali obligantur. II. Excludimus bruta, 1. enim ipsis non competit ratio, cujus beneficio jus cognoscitur, ubi autem non est legis cognitio, ibi neque prævaricatio 2. brutorum actibus non competit bonitas vel malitia moralis, sic minus rectè *Delphini Æliano l. 2. de an. cap. 8.* dicuntur *justi*, sed quæcunque de illis propalantur, *umbracula tantum & vestigia virtutum* juxta decisionem *Arist. l. 8. de hist. an. c. 1.* pronuncianda. Et inde etiam malitia ipsis non competit, v. g. inquit *Poëta*:

— — — Coeunt animalia nullo

Coëtera delicto, nec habetur turpe juvencæ

Ferre patrem tergo. — — —

Ideoque jure catamidiandus, qui cum Hilarione onagram sui gregis ducem ob pomarium devastatum stare jubet & baculo ipsius latera tundens, dicit: quare comedis, quod non seminasti. Bruta poenam nullam dant. Nec obstat, quod DEUS Exod. 21. 25, bovem cornupetam, & Lev. 20. 15, 16. brutum, quocum quis rem habuit, occidi jussit: fit enim hoc in detestationem criminis & abolitionem memoriæ, *nec ulla hic magis habetur ratio quàm ubi canis, simia, gallus ac vipera culeo ex jure Rom. veteri L. pœna. 9. D. de L. Pomp. de parricid. ac inst. de publ. jud. §. alia deinde. cum parricidâ, (qui ei simillimi erant) insuti in mare aut amnem projiciebantur, dicente J. Selden. l. 1. de J. N. & G. c. 4.* Similiter dicitur de annuo apud Rom. canum supplicio & anserum honore. Non factum hoc in anserum clangore suo Gallos Capitolium occupaturos prodentium honorem & præmium canum quæ non latrantium poenam & ignominiam, sed ut tum diligentioris custodiæ ac beneficiorum erga Remp. præmia tum rerum socordius gestarum poenæ velut in schemate quodam seu apologo quotannis civibus ostentarentur. Et quid multis? Non magis bruta puniuntur, quàm inanimata quædam v. g. libri hæreticorum aut mala medicamenta quæ



ta quæ ad evitanda futura mala perduntur & Vulcano traduntur. Præter cæteros itaque se expediunt, qui dicunt, jus nat. improprium & analogicè brutis competere, quicquid enim in ipsis invenitur, tantum naturalis instinctus vel inclinationis nomine gaudet. Optimè in hanc scenam producitur *Plato*, dicens: *natura rem unam quamq; perfectissimam facere voluit, ideoq; in animâ vegetante sensus, in sentiente rationis, in hac divina mentis simulachra expressit.* Liquidò nunc ex his sequitur, stramineam esse quorundam collectionem: hoc vel illud brutis cum hominibus est commune. Ergò est jus nat. A τῷ naturali esse non v. c. ad jus naturæ: aliàs etiam edere, bibere, dormire, alvum exonerare & c. quæ etiam sunt naturalia nobisque cum brutis communia, essent jus nat. Singulis rebus DEUS naturales quosdã instinctus indidit, qui sunt iis velut leges. Sic apibus innata natura mellificandi, *quâ purissima mella stipant & dulci distendunt nec arecellas.* Formicæ inest natura grana colligendi, *dum ore trahit quodcumq; potest atq; addit acervo, quem struit haut ignara ac non incauta futuri.* Sed instinctus illi jus nat. non constituunt. Concludimus verbis *J. Selden. l. cit. c. 5.* dicentis: *neque est omninò, cur alterius eorum alicujus speciei actus solitos actibus alterius (atque hos multipliciter diversissimos esse scimus) hac in contemplatione omninò anteponeremus, nedum cur ex individuorum aliquot exemplis obscurissimis, quod faciunt nonnulli, jura aliqua naturalia expiscatum iremus.*

§. 12.

Indaganda nunc forma juris nat. *Suarez. l. 2. de L. cap. 5.* duas affert sententias de formali ratione juris nat. 1. est: jus nat. esse ipsam naturam rationalem secundum se & ratione suæ essentia, prout sc. est fundamentum honestatis naturalis. 2. est: jus nat. esse vim quandam naturæ, quam habet ad discernendum inter operationes convenientes & disconvenientes illi naturæ: quam rationem naturalem appellamus. Hanc opinionem *Suarez* utroque pollice dignatur. Sed nos neque prio-

C

rem

rem neque posteriorem satis tutam dicimus. Sicut enim forma & anima legum positivarum est voluntas legislatoris, quia lex essentialiter pendet in suo esse ac institutione ab intentione legislatoris: nam licet ille proferat verba de se sufficientia ad precipiendum, & cum omnibus exterius requisitis ad constitutionem legis, si non habeat intentionem ferendi legem, non feret illam nec illa erit vera lex, ut fatetur ipse Suarez. l. 3. c. 20. n. 3. ita etiam legis naturalis forma non solum est quaedam naturæ vis quam habet ad discernendum inter operationes convenientes & disconvenientes illi naturæ, sed est talis vis quæ dicitur, quaedam ut honesta esse facienda, quaedam verò ut turpia fugienda. Et hanc ratione dictamen illud (quod est quasi voluntas) rectæ rationis juris naturalis forma dicendum.

§. 13.

Fines juris naturalis à Meisn. l. 1. q. 3. p. 45. & seq. recensentur quatuor. 1. *DEI inquisitio*. 2. *quæsitæ veneratio*. 3. *honestæ conversationis*. 4. *inexcusabilis damnatio*, hic finis, quia ipsi Meisnero dicitur finis per accidens, planè potest omitti, particula enim *eis* in verbis illis, *eis τὸ εἶναι αὐτῶν ἀναπολόγητος* Rom. 1. 20. unde finis hinc eruitur, non τελικῶς finaliter sed ἐκβατικῶς eventualiter intelligenda: vel, si finem denotat, non sumitur moraliter pro fine motionis agentis sed physicè pro fine terminationis rei. Non tacendus hinc quorundam error, qui iuri naturalis finem supernaturalem tribuunt & dicunt: Gentilium quosdam solâ lege naturæ esse salvatos, Quæ sententia placuit olim Monacho Britanno, Pelagio & ejus sequacibus, quos contra scripsit August. l. de nat. & grat. c. 1. & 9. & lib. 4. contra Julian. c. 3. it. lib. 1. ad bonif. c. 21. Etsi enim naturalis legis transgressio ignoratâ omni lege supernaturali sufficit ad æternam damnationem, e jusdem tamen observatio non meretur æternam salutem, ratio est, quia nemo sine salvificâ DEI cognitione salvatur, adis Meisn. l. 3. de L. q. 4. p. 187. & seq. Gentilibus autem salvificam DEI cognitionem quis tribuat? Θεότης vel τὸ ὄν quidem agno-

agnoverunt, non autem θεότης vel τὸ π' ἐστίν. Ast inquis: cur Gentiles dicuntur Paulo ἀναπολόγητοι, ἀναπολογία illa videtur supponere perfectam DEI cognitionem & sufficientia salutis media? Resp. ἀναπολόγητοι dicuntur Gentiles, non quod illa DEI cognitio tum ex creaturis hausta tum insita ipsis ad salutem posset sufficere, sed quod debuerit esse quadam manuductio ad uberiores & salvificam DEI cognitionem in verbo propositam & revelatam quam ipsi tamen quærere neglexerunt, inquit Magnif. Dn. D. Weller. in Comment. super h. l. p. 76. Inquis porro: fecerunt tamen Gentiles quoad potuerunt & debuerunt ea quæ sunt legis, si non totam: post lapsum enim totam legem impossibile est impleri. Resp. rectè dicitur impossibile est, defectus itaque ille aliunde nempe ex revelatione, (merito Christi fide apprehenso) est supplendus & compensandus, quod quia à Gentilibus non fit, bona opera nihil ipsis proficiunt. Sicut enim Armand. de B. V. tr. 2. c. 126. p. 238. inquit: quædam sunt à Spiritu Sancto, quæ non sunt cum Sp. Sancto: quædam sunt à Sp. Sancto & cum Sp. Sancto: quædam sunt cum Sp. Sancto & non à Sp. Sancto: quædam nec sunt à Sp. Sancto nec cum Sp. Sancto; Ita nos dicimus: Gentilium opera esse quidem à Sp. Sancto, propter deformitatem tamen concomitantem (sc. Theologicam) non esse cum Sp. Sancto. Hinc magni etiam Theologi opera illa peccata dicere non erubescunt. Hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis dicit Cyprian. de Idolor. vanitate.

§. 14.

Proximus juris nat. effectus appellatur moralis (quibusdam dicitur naturalis, non quod moralis non sit sed ut distinguatur à civili) in conscientia obligatio. Qualis hæc obligatio sit, explicandum. Obligat enim jus nat. non solum ad actum verum etiam ad modum virtutis. De leg. civilibus certum quidem, illas interdum impleri per actum qui aliquid mali admixtum habet. De jure nat. verò aliter statuendum. Illius ad observationem requiritur ut actus simpliciter sit bonus nempe

materialiter & formaliter. Vid. *Suarez. l. 2. de L. c. 10.* Deinde jus nat. non solum ad culpam verum etiam ad poenam obligat. De culpa res extra aciem, *nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum, facti crimen habet, cedit si conata peregit*, inquit *Juv. Sat. 13.* De poena quod restat; Disting. inter dignitatem sive reatum poenae; & inter actualem poenae inflictionem. Dignitatem sive reatum poenae jus nat. immediatè dicit: simul ac homo culpam contraxit, poenam se dignum judicat, ibi oritur metus & angor conscientiae ut prodromi & satellites poenarum, *semper enim praesumit se va perturbata conscientia, Sap. 17. v. 11. & DEUS antequam punit, mentes sceleratorum terret*, ait *Lycurg. contra Leocr.* Hinc illae Gentilium quærimoniae: *multa miser timeo, quia feci multa protervè; Exempliq; metu torqueor ipse mei*, & similes. Notandum tamen hinc, jus nat. dignitatem poenae dicitare, non ejus quantitatem vel modum taxare: *hæc taxatio fit aut per legem æternam DEI maximè quoad poenam vitæ futuræ, aut per legem positivam quoad poenas quæ in hac vitâ & humano foro imponuntur*, ut loquitur *Suar. l. 1. c. 15.* De actuali poenae inflictione dicendum: illam jus nat. non nisi mediatè mediante sc. judice exigere. Intellig. autem hoc de poenâ corporis externâ, quis enim internam animi poenam neget esse actualem, utpote *quæ multò sevirior illis, quas & Cæditius gravis invenit & Rhadamantus juxta testimonium Juv. Sat. 13.*

§. 15.

Dividitur jus nat. I. in universalissima & prima atque per se nota principia, v. g. bona sunt facienda, mala vitanda: & in conclusiones ex principiis vel per paucas vel per plures evidentes tamen ac necessarias illationes deductas, v. g. justitia est servanda, parentes honorandi. Illa intimantur communiter jus naturæ primarium, hæc secundarium. Vid. *M. Bonacin. Tom. 2. Theol. Moral. Disp. 1. de L. quest. 1. p. 3. n. 8. & Autores ibid. cit.*

§. 16.

§. 16.

Diximus jus nat. secundarium deduci ex primario tanquam conclusiones ex præmissis. Idem etiam videtur affirmandum de jure Gentium, suboritur itaque quæstio: quomodo quoad hoc differat jus Gent. à jure nat. secundario? Resp. *Dupliciter deducitur aliquid ex jure nat. uno modo ut conclusio ex principiis, sic jus positivum non oritur à justo natur. præmissis enim existentibus necesse est conclusionem sequi, sed cum justum nat. sit semper & ubique, hoc non competit justo legali vel positivo: & ideo necesse est, quicquid ex justo nat. sequitur q. conclusio, sit justum naturale, sicut ex hoc quod est, nulli est injustè nocendum, sequitur non est furandum, quod quidem ad justum nat. pertinet. Secundo per modum determinationis sic omnia justa positiva vel legalia ex justo nat. oriuntur, sic furem esse puniendum est justum nat. Sed quod sit etiam puniendus tali vel tali pænâ, hoc est legis positiva, inquit Thom. in Commentis suis, quæ exstant Tom. 5. ad 5. Eth. 7. lect. 12. Eandem resp. repetit Suarez. l. 3. de L. c. 21. n. 10. Ex quibus patet, quomodo jus Gent. à jure nat. interstinguatur. Paucis totam rem effert Arist. 5. Eth. 7. his verbis: *Jus nat. est quod ubique eandem vim habet, & non quia ita videtur vel non. Legitimum verò, quod à principio quidem nihil interest, utrum sic fiat an aliter, quando verò fuerit institutum interest.* nempe determinatio, antequam fiat, est indifferens: jus verò nat. non nisi circa necessaria versatur.*

§. 17.

II. Dividitur jus nat. in præcepta *affirmativa & negativa.* Hæc, quia malum prohibent, semper & pro semper obligant. Illa verò, quia bonum imperant, non æquè. Dicuntur quidem etiam semper obligare, sed tantum quoad speciem actus non quoad exercitium, v. g. pauperibus non omni omninò tempore est benefaciendum, non major enim debet esse benignitas quàm facultas, sed tantum quando occasio vel necessitas poscit & facultas nobis non deest. Hinc qui fame fermè con-

fectus est, non tenetur emendicatum panem alteri porrigere  
*in pari enim casu potior est conditio possidentis*, habet JCtorum  
brocardicum.

§. 18.

III. Dividitur jus nat. secundum hominis inclinationem  
in 3. gradus. 1. est homo individuum quoddam ens, & ut sic  
inclinatur ad conservandum esse & bene esse, *omnis enim na-  
tura est conservatrix sui* juxta Cic. l. 2. de fin. Hinc oritur lex  
nat. Proprium est conservandum, vis vi repellenda, suicidium  
fugiendum, primum enim bonorum est proprium esse in indi-  
viduo. 2. homo est ens corruptibile sive mortale, & ut sic in-  
clinatur ad speciem suam ab interitu vindicandam aliudque  
individuum generandum. Hinc maris & foeminae conjun-  
ctio, prolis procreatio, educatio omnisque *erga* parentum er-  
ga liberos horumque erga illos. 3. homo est rationalis, spiri-  
tualium perfectionum particeps & ut sic inclinatur ad DEI  
cultum, proximi commodum & cuncta honesta. Notan-  
dum verò, priores duas inclinationes non simpliciter nobis  
considerari ut sic, sed ut inquit *Suar. l. 2. de L. c. 8. n. 4. quatenus  
aliquo modo determinata & elevata sunt per gradum rationalem.  
nam si considerentur ut merè naturales vel animales, potius fra-  
nanda sunt ad virtutem assequendam ut dixit Aristot. 2. Eth. 9.  
& optimè Chrysost. homil. 13. versus finem: tamen regulabiles per  
rectam rationem singulis respondent propria & accommodata præ-  
cepta.* Hisce consona tradit etiam c. 17. n. 6. & 7. Quæ omnia  
bene observanda, ut intelligamus, non omnia naturalia esse  
jus nat. uti nec omnia, quæ sunt contra naturam, repugnant  
juri nat.

§. 19.

IV. Dividitur jus nat. in *positivum*, præcipiens v. g. religio  
erga DEUM & pietas erga proximum non dicitur permissa sed  
præcepta: & *negativum* sive non prohibens. Et huc pertinent  
exempla de libertate & rerum communione. Dicunt quidam:  
quæ-

quædam præcepta juris nat. esse pro certo rerum statu & non simpliciter, hæc ratione comunem rerum usum & libertatem naturalem fuisse ante lapsum tempore naturæ integræ. Quod si ita intelligunt, ac si post & per lapsum præcepta illa sint mutata, à veritate abluunt: Jus nat. enim intrinsecè tam quoad conclusiones & partes quàm quoad principia & totalitatem omni tempore est immutabile. De præceptis negativis res in omnium ore & oculis, illa enim obligant semper & pro semper ideoque in omni statu. Affirmativa autem quoniam non obligant pro semper, fieri potest, ut in statu quodam occurrant occasiones quædam præcepta exequendi, in alio verò aliæ; quod non satis est, ut lex dicatur esse diversa. Sicut enim in statu naturæ corruptæ aliud est tempus pacis aliud belli, in quibus diversa præcepta observanda sunt: & medicina alia præcepta tradit pro infirmis, alia pro ægrotis & tamen propterea regulæ medicinæ in se non mutantur sed multiplicantur, & quædam nunc deserviunt nunc aliæ; ita jus nat. idem existens aliud præcipit in tali occasione, aliud in aliâ, nunc obligat & non antea vel postea sine sui mutatione propter materiæ variationem. vid. *Suar. l. 2. de L. c. 8. n. ult.* Cui placet, potest etiam hîc applicare distinctionem illam Metaphysicam inter mutabile & variabile. Non itaque putandum, jus nat. diverso naturæ statu, adimendo libertatem rerumque communionem, mutatum. Videndum i. de communionem rerum. (maximum enim hæc exempla usum habent) Protoplastos in statu innocentia nullam habuisse rationem familiae eriscunde, certum est, erant ibi omnia ipsis communia velut non eratum plurium patrimonium. Quæritur itaque, quomodo præceptum de furto sit juris nat. & perpetuum, videtur enim furtum præsupponere meum & tuum, h. e. proprietatem & dominium ex naturâ rerum ortum, hoc autem in statu innocentia neque locum habuit neque fortean habuisset. Respondemus. Excell. D. Johann. à Felden in suis in H. Grot. de J. B. & P. annot.

not. p. 94. & 95. inquit: Nos dicimus dominium ortum esse ex natura rerum, quibus ad vitam utimur; quaedam enim ita comparata sunt, ut iisdem uti nequeamus nisi alios excludamus à facultate habendi, adeoque ea quanta quanta sunt, nostri & non alterius gratia esse incipiant. Quod ipsum in initio hujus §. (2. sc. in l. 2. c. 2.) Auctor fatetur; quando dicit; quod quisque arripuisset, id ab eo eripi sine injuria non potuisset. Quod autem sine injuria eripi nequit, speciem habet rei sub dominio existentis. Atque adeo dum Auctor communionem juris nat. astruere conatur, dominium quoddam probat. Et hæc ita se habent circa ea quæ sponte nascuntur: in iis quæ curam indigent, necessè est, proprietatem dominiumque dari. Quod ita probamas: liber enim homo nihil alterius gratia facit temerè: suum ergo esse debet cujus curam habet: alterius gratia frustra laborare servile est & querelas parit. Apparet ergo necessariò dominium dandum, ut injustum tollatur, & quidem rebus, quibus ad vitam utimur, id exigentibus. Quare & dominium à natura est: id enim naturaliter est justum, quod ex ipsa natura rerum, ad quam ea propense sunt cognoscimus. Hæc suppeditant nobis resp. ad quæsitum. Nempe distinguimus inter dominium quod dicitur quoad rerum usurpationem & inter id quod dicitur quoad rerum possessionem: illud in statu innocentia omnium calculis obtinuit, usus enim universalis juris fecit tunc ex communi proprium & fuit vice proprietatis, id quod similitudine intelligi potest eam quæ est apud Cic. de Fin. 3. theatrum cum commune sit rectè tamen dici potest, ejus esse eum locum quem quisque occupavit, scribit Grot. l. c. Dominium autem quod dicitur quoad rerum possessionem in statu innocentia non fuisse conceditur, neque enim id par illud hominum innocentium desiderabat. Alia autem quaestio est, annon in statu innocentia crescente hominum multitudine divisio rerum potuisset institui? & quod sic. Creavit enim Deus in statu innocentia hominem non ad otiosam vitam sed ad laborem (labor absolute loquendo non demum per lapsum introductus



ctus est, sed molestia quam nunc ex labore percipimus, in statu autem innocentiae non percepissemus, dicitur poena peccati) liber autem homo nihil alterius gratiam facit temere. Suum ergo esse debet, cuius curam habet: & quivis ergo laboris sui fructus in statu innocentiae sibi etiam quoad possessionem jure salva morum honestate appropriare potuisset. *conf. Suar. l. 2. c. 14. n. 13.* Hisce praesuppositis, dicimus: praecipuum de furto utique in statu innocentiae praesupposuit dominium, dominium scilicet quoad rerum usum quamvis non quoad possessionem. Hinc est quod *Grotius* propria vineta cadens, *l. c.* fateatur: *quod quis q̄ sic arripuerat, id ei eripere alter nisi per injuriam non poterat.* Et ita concludimus: Divisionem rerum esse juris naturalis negativi. Quod dum asserimus, ne *quod* quidem, divisionem juri gentium adscribentibus repugnamus, uti in ipso conflictu ostendemus. Pariter dicendum de libertate. Natura quidem ab initio omnes proclamavit liberos, nihilominus tamen ordo quidam inter eos fuisset, (ordinem enim inter ipsos quoque angelos esse credimus) ita, ut, si quis ordini illi resistere voluisset, absque crimine non restitisset sed aequum; ut hodie cogi potuisset. Quod itaque nulla tunc fuit coactio, quae tamen in hoc statu maxime necessaria, ratio est, quia quilibet honestatis repagulis fractis ambitionis vitio inflat<sup>9</sup> statim post lapsum alteri bene monenti non voluit subesse sed praesese, hinc orta sunt litigia & opus fuit iudicibus, qui litibus decidendis essent & unicuique suum tribuerent. Et ita servitus introducta. Confectarium ex his deducitur: Vesanam hoc aetate Independentium esse doctrinam, qui imperandi libidine parendique contumaciam tanquam aestro perciti specioso favorabilis libertatis praetextu Magistratum suum, utpote cuius potestatem juri nat. repugnare somniant, regno & vitam extorrem reddunt. *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt; dum minus vitant, majus incurrunt; dum captivitatem detrectant, in effrenatam licentiam vinculorum & carcerum genetricem*

D

se pra-

se præcipitant; dum à minori Tyrannide sibi cavent, majorem affectant & introducunt, quam rationem verbis Italicis profert in causâ Florentinorum *Guido Anton. Vespuc. lib. 2.* Hanc ipsam rationem intendit *Autor Def. Reg. c. 5. p. m. 143. & 144.* dum scribit: *nunquam talis exitus quo vita regis aut regentis vis infertur, solet evenire nisi cum seditioibus turbulentis, quæ populum dividunt & in factiones scindunt. Ut autem ex turbis ea violentia nascitur, ita per turbas promovetur & nil nisi turbas post se trahit, ex quibus dissipationem pro congregatione consequi necesse est, & postremò interitum totius Reip., qui dissipationem semper sequitur, ut salus & incolumitas congregationem &c.* Quinimò, quamvis etiam Imperans sine Reip detrimento tolli possit, nihilominus tamen semel ad gubernandum admissus debet retineri. *Ut enim pater naturalis (notante A. Def. Reg. l. c. p. 145.) non desinit esse pater, quamvis in liberos jus patriæ potestatis severius exerceat, sic Rex qui Imperium in subditos durius exercet, non perdit appellationem Patris patriæ, ut ait Justinianus.* Non quidem sumus nescii, *Joann. Milton. in def. suâ pro pop. Anglic. c. 1. p. 3.* ad simile hoc varia & mirima reponere, dicit enim: *Pater & Rex diversissima sunt: pater nos genuit at non rex nos, sed nos regem creavimus. Ferimus patrem, morosum etiam & durum, ferimus & regem; sed ne patrem quidem ferimus Tyrannum. Pater si filium interficit, capite pœnas dabit, cur non item Rex eadem justissimâ lege tenebitur, si populum i. e. filios suos perdiderit, præsertim cum pater ut ne pater sit efficere non possit, rex facile possit ut neque pater sit neque Rex.* Sed *R. I.* omnibus similibus inest quædam diversitas. 2. meracum est figmentum, nos regem creare vel constituere. *DEUS* constituit, uti ipsi etiam Gentiles fatentur & sacrarum literarum Pandectæ testantur. Nos applicamus personas potestati quam *DEUS* cõferre decrevit: sicut speculum applicamus lumini, quod à Sole in speculum influit. 3. Milton. quæstionem de jure solvit factò, dum dicit: *sed ne patrem &c. & ita litem lite solvit.* 4. *Concedimus, Regem eadem*

eâdem lege justissimâ teneri. Sed quærimus ex Milton. cui pater pœnam det? nisi forte Melitide aut Chorœbo stultior sit, respondet superiori, non filio. Si itaque pater à filio non potest puniri, Pater patriæ etiam subditis pœnam non dabit, sed soli DEO. 5. Utrum pater ut ne pater sit, efficere non possit, consulat Milton. J. Ctos. 6. Regem facere posse ut neque pater sit neque Rex, ambiguè dicitur, ut in conflictu ostendemus. Et hæc pro re natâ. Restat adhuc unum & quidem nobile exemplum divisionis datæ. Communiter dicitur: conjugium, procreationem sobolis esse juris nat. Quæritur itaque: An conjugium cadat sub præcepto, i. e. utrum sit juris natur. positivi an verò negativi? Quidam *desciscentes à fide, attendentes spiritibus ac doctrinis Demoniorum*, ut Paul. 1. Tim. 4. loquitur, *prohibent contrahere matrimonium*. Scholastici contendunt matrimonium cadere sub præcepto uti videre est apud *Lombardum, Thomam, Dionysium Carthusianum* & alios, id quod tamen confusè sive suppositione Logicis confusâ dictâ explicant, h. modo: ut quidem dictum sit generi humano; *crescite & multiplicamini*, ita tamen, ut satis sit, si per aliquos species humana propagetur & non cogantur omnes operam dare liberis procreandis, uti eorum mentem Jesuitaster *Bellarmin. de Euchar. cap. 25.* interpretatur. Vid. hæc de re *Excell. Dn. J. Frischmuth, Patronus atq; Promotor noster summè colendus, Diss. 2. de 7. Noachi præc. §. 9. & seq.* ubi ad oculum demonstrat, verba illa: *crescite & multiplicamini*, non tam præceptum quàm benedictionem matrimonii designare. Dicimus igitur, præsertim h. tempore, quo genus humanum satis multiplicatum, matrimonium non esse juris nat. positivi, sed eum qui donum habet continentiae salvâ morum honestate posse coelibatum eligere, *abstinere enim non tantum in se nihil habet vitii, verum etiam laudem magnæ castitatis accipit*, scribit *Conring. in Annot. ad H. Grot. de V. R. C.* Observandum tamen, nos matrimonium, quod dicimus esse juris nat. hîc non considerare in esse naturæ quatenus

denotat conjunctionem corporum, etiam bestiis communem, sed in esse moris, quod involvit fidem, quam non tantum foemina mari, juxta falsam *Grot. sent. l. 2. de J. B. & P. c. 5. n. 9.* sed etiam mas foeminae (*Grot. scribit foeminae, putat enim foeminas nihil aliud esse quam femina, instrumenta & pedisequas libidinis*) se obstringit, & quod implicat honestatem vel turpitudinem moralem, quam implicari posse patet, quia ob matrimonium vel laudamur vel vituperamur. Papaeorum vero coelibatum quod attinet; ille merito expumicandus, quippe est à matre fornicationum & abominationum terra pessimo fine introductus & ne quidem coelibatus nomine dignus, qualis enim sit, ingenuè epektorat *Domin. de Sot. l. 7. de J. & J. q. 6. a. 1.* ubi inquit: *fatemur castitatis votum non esse observatum facile. Et agnoscimus insuper in privatis adibus non usque adeo tutè servari posse ejusmodi votum quam in monachorum claustris, neque verò inficias imus, crebros esse in clero concubenarios & adulteros.* Castum coelibatum! De fumo tenditur ad flammam. Nunquam desinit interna nostri corporis a *EVA*, accoeva fragilitas, virilem partem, nempe rationem tentare, ut loquitur *Fr. Piccolom. Philos. moral. gr. 3. c. 5.* malum itaque malo non medicandum, sed remedium applicandum, matrimonium. Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant: melius est nubere quam uri, rectissime suadet *Gregor. l. 12. moral.* Nec obstat, quod Conjugii osiores impudenter & imprudenter urgent: actum matrimonium esse impurum, quia remotum ab arbitris cubile requirat & ita lucem fugiat. Non est impurus, quia *quicquid bonum est in se, bonum etiam est in fieri*, inquit *Petr. Paludan. 4. D. 26. q. 2. a. 1.* Quod autem jam post lapsum verecundia in actu illo secretum quaerit, inde non sequitur turpitudinem moralis & culpabilis, sed naturalis & poenalis qualis oritur, quando vesica vel alvus est exoneranda ut loquitur *Augustinus.* Et hinc inquit *Beat. Lutherus in commentar. suo in Genes. ad verba illa: non est bonum &c. ante lapsum in actu illo non minore*

*remo*

rem fuisse honestatem quàm in capiendo somno, cibo, potu cum uxore. conf. Bonavent. 2. a. 22. q. 4.

§. 20.

Affessor justitiæ & supplementum legis dicitur æquitas. Quæritur de hâc, an etiam competat juri naturali ! Quidam absolutè negant. Contrarium non pauci defendunt. Nos dicimus: jus nat. dupliciter posse spectari. 1. secundum se ut est naturale & à rectâ ratione dictatur. 2. prout per legem aliquam scriptam certis verbis exprimitur. 1. modo non admittit æquitatem, æquitas enim supponit defectum ex universalitate legis ortum, jus nat. autem non absolutè in universale prout potest deficere à rectâ ratione dictatur sed prout certis circumstantiis affectum justitiæ quæ & charitatis conditionibus munitum, aliàs non esset dictamen verum. 2. modo jus nat. æquitatem admittit, admittit enim non ut naturale sed quia admixtum habet aliquid positivi, v. g. publico cultu DEUM venerari est juris nat. ideo quæ æquitatem non admittit: certis verò ceremoniis hoc vel illo die DEUM venerari est juris positivi ideo quæ pro circumstantiarum conditione æquitatem recipit. Hinc excusantur Maccabæi die sabbathi propter vitæ periculum pugnantes, 1. Maccab. 2. vid. Suar. l. 2. de L. cap. 16. num. 6, 7, 16.

§. 21.

Vidimus de æquitate. Q. nunc etiam, an circa jus nat. dispensari possit? Resp. Abnutivè sive de homine quæras sive de DEO. Pontificii quidam, ut caput SUUM, Papam pro more extollant, solum eum inter mortales circa jus nat. dispensare posse de prædicant: quidam tamen ex iis negant. Utriusque sententiæ Patronos recenset Martin. Bonac. loc. sup. cit. Viderint illi, quomodò conveniant. Ipsissima Divina Majestas ne quidem dispensare circa jus naturæ potest. *Dispensare enim est permittere & approbare actum secundum omnes suas conditiones tam formaliter quàm materialiter legi con-*

D 3

174-

*trarium.* Quomodo jam Deus dicitur permittere & approbare actum legi contrarium? Nullo modo. Si enim faceret, contra justitiam ageret, quod ipsum refertur inter absolute DEO impossibilia. *Sicut enim quod verum est, non potest non verum esse; ita quod per natura vocem, ut ita loquar, vetuit DEUS, non potuit non vetuisse vel quod idem est, non potuit hoc tanquam licitum, concedere, inquit Conring. l. supra alleg. & sicut, ut bis duo non sint quatuor, ne à DEO quidem potest effici: ita ne hoc quidem, ut quod intrinsecè ratione malum est, malum non sit dicit Grot. l. 1. de J. B. & P. c. 1. n. 10. p. 4. Conf. Suar. 12. de L. c. 15. Nec obstat, quod DEUS sit Autor juris nat. Etsi enim, ut rectè resp. Albert. Lex superior tollit inferiorem, si diversa inter se sint, fieri tamen id non potest quando inferior directè est exemplar superioris. Talis autem est lex nat. ex ipsa enim lege aeternà DEI quasi transcripta est ut ait Augustin. l. 2. de ord. c. 8. & l. 83. qq. quæ. 53. notante Horn. l. 4. Phil. Mor. c. 3. n. 37. Sed inquis, quid dicendum de Loc. Gen. 22. 2. Exod. 12. 36. Ose. 1. 2. item de Polygamià Patriarcharum. Resp. i. in genere verbis Bonavent. l. 4. d. 33. l. c. n. 21. DEUS non facit contra jus nat. sc. quod ordinat in ipsum, sed contra jus nat. quod ordinat in proximum, non tamen contra sed supra facit. In specie Resp. ad Gen. Loc. Mandavit DEUS Abrahamo immolationem Isaaci ut autor vitæ & mortis, qui propter peccata pœnam mortis tam piis quam impiis justè quando & per quem vult infligit, & usus est Abrahamo ut instrumento, ideoque priorem illam sententiam de non fundendo sanguine humano DEUS actualiter nec mutavit, nec illi contrarium Abrahamo seriò præcepit sed tentavit eum ad bonum finem tum respectu sui, ut ostenderet se requirere ab homine obedientiam utut præcepta sua nobis videantur contraria, tum ipsius & filii Isaaci ut virtus utriusque innotesceret. vid. pl. Rev. Dn. D. Walth. Harm. sup. h. l. Ad loc. Exod. Resp. Manichæi furtum teste Epiphonio har. 66. malo, quem finxerunt, DEO acceptum retulerunt. Abderiticæ hæc  
men-*

mentis sententia. Dicimus nos: DEUS omnium rerum dominus, in cujus manu est transferre dominia rerum, à quo in quem vult vasa Ægyptiaca non planè ut res alienas sed ut loco mercedis, quam Ægyptii non persolverunt, debitas exhibuit. Hinc inquit Laud. *Walth. Harm. sup. h. l. Ex jure ipsis debebantur bona, Ægyptii enim eos per annos fermè 100 durissimâ servitute oppresserant veluti mancipia, debitaq; laborum mercede defraudaverant, quam mercedem nunc retulerunt divinitus assignatam, quod si enim in foro civili non judicatur esse furtum, quando Magistratus debitori justam solutionem deneganti tot bona vi justè adimit, ut creditori satisfieri possit, quantò minùs hæc æquisima DEI dispositio furti accusanda?* Ad loc. Os. variè quidem ab Interp. resp. Nos urgemus τὸ πῆλὸν dicentes: Prophetam non ad usum illicitum sed in matrimonium assumpsisse meretricem. vid. iterum *Dn. Walth. lib. cit. sup. h. l. Polygamiam denique Patriarcharum quod attinet; Quidam dispensationem concedunt, illos ipsos autem non nisi latè & abusivè dispensationis voc. accipere notandum. Tutissimum itaque est dicere tolerantiam fuisse. Vid. B. D. Gerhard. Tom. 7. de Conj. §. 221. & seq. Plura nunc quidem essent addenda, sed tempus & charta non permittunt. Æterna lex clementissimè largiatur, ut fundamentum omnium legum, jus naturale piè sanctèque semper observemus nec unquam fucosâ malitiæ tincturâ deformemus, sed jugiter ad divinam gloriam, proximî commodum nostriq; salutem in animarum nostrarum scriniis florere & splendore videamus!*



*Ad Humanissimum & Præstantissimum*  
DN. RESPONDENTEM, Amicum  
& Commensalem suum dilectum!

**Q**uid JUSTUM & RECTUM, quid curvum,  
quid Rhadamanti

Censuram metuat? JURA sacrata docent.

JURI ergò invigilans, rectè defendis, AMICE;

Quid JUS NATURAE, quemq; monere queat?

JUSTITIAE DOMINUS, dispensatorq; Supremus  
ÆQUI, det studiis vela secunda Tuis!

*Benevolentiae testandæ causâ faciebat,*

Christianus Chemnitius, D. P. P.

Pastor & Superintendens, h. t. Facult.

Theol. Decanus, & Academiæ desi-  
gnatus P R O R E C T O R.

*J*uris naturam dum sistis ritè tuendam,  
Ostendis justis quod tibi cura fiet.

*P*ergas perpetuo studio defendere cæpta,

*Et meritis olim præmia jura dabunt.*

Per pauca hæc Eximio Dn. Fischero de Jure di-  
sputaturo Commensali ac amico suo cordi-  
citè dilecto, gratulationis loco fundebat

P. Blumberg/ Schneebergens.





(x2256747)

ULB Halle


3


006 682 170



VD17







10236

XVI.  
1

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

*De*  
**JURE NATU-  
RALI,**

1655, 1

In Illustri propter Salam Academiâ,

PRÆSTITE  
JUSTISSIMO JURIS NATURALIS  
AUTORE,

4

CONSENTIENTE  
*AMPLISSIMA FACULTATE*  
PHILOSOPHICA,

à

PRÆSIDE

**M. HENRICO AMMERS-  
BACHIO, HALBERSTA-  
DIO-SAXONE,**

&

RESPONDENTE

**CHRISTOPHORO LUDOVICO FISCHER,  
HALBERSTADIO-SAXONE**

Placidæ ventilationi  
*In Orchestrà Philosophantium*  
ANNO clō lō c LV. Prid. Id. Sept.  
*Horis Antemeridianis*  
EXPOSITA.

Typis JOHANNIS NISII.

